



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digressio 3. De natura animæ, ad tex. com 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

riam nullus dixerat esse. Hæc enim est ens potestate, quod ab alio perfici oporteat, commune omnibus, nec operationis vllius principium. Anima verò ab omnibus intelligitur vt actus perficiens, qui der esse & speciem, animataque ab inanimis separet, & plurimas illis operationes adferat. Quam ob causam à nō paucis dicebatur semper moueri.

Digestio III. De Natura Anime.

Quod verò ad secundum spectat. Vt Aristoteles animam vniuersè posuit esse substantiæ formam: sic post illum Galenus in libro, quem scripsit de animæ morum & corporei temperamenti mutua cōsequutione, alijsq. pluribus in locis, de humana potissimū loquutus anima, *ægei*, duntaxat & quatuor qualitatum temperiem esse affirmavit. Quam sententiam tāquam medicorum communem Philoponus quoq. commemorat in Com. tex. 6. lib. 1. & ab antiquioribus hausisse illi videntur. Nam & Aristoxenus Musicus intentionem ipsius corporis quandam velut in cantu & fidibus, quæ harmonia dicitur: & Epicurus misturam quatuor qualitatum, igneæ, aëreæ, spiritalis, & alterius, quam nesciuit nominare: & Dynarchus apud Neæcium in secundo Philosophiæ libro, seu Dicearchus, vt mauiit Plutarchus in 1. lib. de Philosophorū Placitis, seu Clearchus apud Theodoretum in 5. lib. de curandis Græcorum affectionibus, harmoniam & conuenientiam quatuor qualitatum, animam esse iam pridem pronunciauerant. Arbitror, inquit Simias apud Platonem in Phædone, esse in corpore nostro intentionem & cōplexionem quandam ex calido, frigido, humido, sicco, cæterisque talibus: horūmq. temperantiam consonantiāq. nostram animam esse: resultantem videlicet in corpore nostro postquam hæc ipsa bene moderatēq. inter se temperata fuerint.

Multis contra disputauit Nemesius, sed minus necessarijs argumentis. Quædam magis efficacia atque ad conuincendum accommodata protulit Alexander in priori lib. de anima cap. 7. Verū illud in primis intelligatur; Galenum in ea, quam paulò ante pronuntiauit, sententia partim omninò fuisse constantē. Namq. animā interdum dixit esse temperiem potius substantiarum elementorum. Et Comment. 5. in 6. Hypocratis librum de vulgaribus morbis particula 5. & in expositio. 15. Aphorismi libri primi, alijsque in locis ita vitus est suam sententiam exponere, vt non tam primarum qualitatum, aut elementorum temperiem, quàm calorem illum, quem innatum & singulis viuentibus insitum nominamus, voluerit esse illorum animā. Ac demum in eodem illo Commentario 5. & in libro de vtilitate respirationis cap. 5. & lib. 7. de vsu partium cap. 8. & sub finem libri de foetuum formatione apertis tandem verbis confessus est, se animæ substantiam ignorare, neque eam cognitionem Medico esse magnopere necessariam.

Quamquam id, quod pronunciauit, nihil aliud esse animam, quàm natium calorem, si anima intelligens se ponatur, quam esse substantiam omnimortali natura meliorem, & certa fide ac religione persuasum habemus, & necessaria ratione concludimus. Cū & à solo Deo creetur, & per se subsistat, & spiritalis naturæ sit; atque ita separetur à corpore, vt per se sola cohereat. Cuiusmodi fortasse naturam duarum reliquarum vegetatis & sentientis animarum contemplanti probabili fal-

Animam esse quæ innatum spiritum.

Animam spiritum & motorum suum esse calorem innatum.

Argumento disputari posse videatur. Animas enim stirpium & brutorum esse à calore naturali diuersas, nec ex causa videtur satis cognosci, nec ex effectu. Efficaciens namque causa proxima eadem est substantiarum & accidentium. Idemque seminis calor producit dispositiones proximas, quæ sunt accidentia; & viuentium horum formam, quæ est anima. Quin potius si hæc causa spectetur, oppositum concludemus: cū immediatum principium educens animalis formam sit calor seminis. (Quæ enim alia vis reperitur in vltima?) quare si idem est, quod disponit materiam & dat formam; atque principium proximum educens formam & ipsa formaeducta eiudem debent esse natura, anima non erit diuersa à calore seminis. Neque verò finis aliquis reperitur, à quo diuersitas hæc ducatur. Cū enim is adferatur à multis, vt accidentia tam multa, & partes, quæ sunt in viuente, ab vna anima & forma continentur: contra quàm ipsi dicant, res ipsa euenire videtur; vt non accidentia à substantijs, sed hæc ab illis continentur. Eadem enim sunt causæ conseruantes rei & continentis, quæ generantes fuerunt. Quare cū proximæ generantes causæ fuerint accidentia, hæc eadem conseruantes erunt & continentia. Deinde non perit substantia, nisi quia pereunt accidentia, quæ conseruabant. Prius igitur est accidentia contineri & conseruari in materia, quàm substantiæ formam. Quare si verum sit illud axioma; si affirmatio est causa vt sit, negatio erit causa vt non sit, & contra: cū accidentia non contineri nec permanere sit causa, vt nec substantiæ forma continetur, nec permaneat; si hæc retineatur & permaneat, causa illa ipsa erunt. Iam ex materia & forma aut nullum peti potest argumentum, aut certè omnino contrarium. Ex forma quidem nullum. Quia cū viuentium forma sit ipsa anima, erit semper petito principij, idemque prohibetur per se ipsum. Ex materia autem concluditur quod minimè quaritur. Quoniam ex eadem materia producuntur formæ, tam accidentium, quàm substantiæ si quæ dentur.

Sed alteram propositionem argumentationis partem explicabo, nepe ex effectu discrepantiæ animæ & natui caloris nō cognosci. Concedunt Peripatetici nullū esse viuētis opus, quod à calore nō admittitur, sed calorē, inquit, regi & gubernari à superiori quadā virtute, quæ sit anima: At si verum sit alterum illud eorūdem principium, sic a cōtione cognosci formā, sicut passione materiā; minimè dubitandū erit, ex diuersitate actionū diuersitatem cōcludi formarū. Nulla autem est Animæ actio ab actione natui caloris diuersa: Nec ergo intelligi potest aliā esse animā; aliam natui caloris essentia. Vt enim diuersitas actionū diuersitate ostendit causarū agētium, sic vnitas actionis vnitate indicat agētis principij. Et tanē quæ obsecro notari operatio potest, cuius solus & per se auctor nequeat esse naturalis calor. In omni operatione plantarum id ita esse videtur: cū nutritio omnis, auctio, & procreatio aperte satis operā sint caloris. In animalibus, quæ cognitionem habēt, appetitionē, & progressionē, res est paulò difficilior. Verū hæc omnes operationes nō sunt effectus caloris, sed habētis caloris. Et quāuis calor vt calor nequeat illas producere; poterit tamē vt est hoc modo cū alijs qualitibus temperatus, & cum certa organi dispositione coniunctus. Neque enim anima si sit substantia potest sola

sola operationes eas producere; sed solum vt est in tali materia & organo. Totum igitur principium efficiens illarum operationum non est solus naturalis calor, sed totum coniectum ex calore & organo temperatione atq. habilitate. Neq. maior aut minor perfectio viuientis spectanda est ex maiori aut minori calore, sed ex perfectiori aut imperfectiori eius temperatione cu alijs qualitatibus: vnde & perfectior aut imperfectior operatio nascitur. Sed quamuis calor per se diceretur esse principium producendi illas operationes, minimè mirandum esset. Quia cum forma substantiæ, si quæ est, à nativo calore immediatè producat; vel saltem permulti & graues viri accidens sentiant virtute propria substantiæ posse producere: cur non possit calor operationes illas, quæ sunt accidentiæ? Maximè cum hic calor multo præstantior sit & diuiniorelementari illo calore, qui producit ignem. Est enim calor quidam cælesti per similes, maximèq. vitalis, & in tali temperatione, mensura, & proportione constitutus à calore stellarum & solis, à quo etiam perpetuè conseruatur, atq. in operatione iuuatur: vt verè dictus fuerit ab Aristotele in 2. libro de animalium procreatione, cap. 3. proportione respondere elemento stellarum.

Vnum tamen est argumentum aduersus hanc rationem animæ ad diluendum atq. infirmandum omnium difficillimum. Nam cum in semine insitus sit hic ipse calor, si is sit anima, semen nimirum animalium esset: quare nutrireretur & sentiret, si de animalium loquamur semine. Posset tamen responderi, non calorem quamlibet naturalem esse animam; sed eum solum, qui ex certa materia & in determinato loco gignitur. Ita vt duplex sit natiuus calor: vnus generans, alter genitus: Huicq. posteriori nomen animæ tribuatur. Quid sit perfectior & in subiecto organico atq. ita temperato, vt ad illius functiones exequendas sit aptum. Nec mirum esse debet, si quod est magis perfectum, ab eo gignitur, quod est magis imperfectum. Quoniam accidēs fatentur plurimi substantiam producere. Et illi ipsi, qui substantiæ formas admittunt, eas fateantur oportere ab accidētibus ex materia potestate educi: cum ea sola sint, quæ in materiam agant. Accedit, quòd dici potest calorem, quo viuientia producitur, posse duobus modis considerari; vno modo vt calor est in materia sua tali modo temperatus. Altero modo vt coniungitur tum calore cælesti, qui est intelligenti instrumentum & virtus primæ illius generalis causæ, quæ perpetuum efficit in his inferioribus ortum atq. interitum. Priorèque modo calorem seminis non posse fortasse viuentem substantiam procreare: posteriorè non viuentem modò, sed sentientem quoque & tam vitæ, quam sensus auctorem esse, propagatorem & custodem.

Ex his igitur videtur ostèdi, animas stirpium & animalium nil esse aliud, quam calorem talè, hoc aut illo modo temperatum. Quibus addi possent communia argumenta omnia, quibus disputatur, nullam præter intelligentem animam demonstrari posse substantiæ formam.

Verum & grauior auctoritas & firmior ratio in contrariam potius partem inclinat. Auctoritas est Aristotelis, cuius ingenium perspicax & maturum, graueq. iudicium, cum in alijs rebus aliorum omnium ratiunculis semper anteponat. Tum verò in ijs præcipuè, quæ ad animam spectant. Cum de illa costet testimonio Alexandri & Themistij in præ-

A mio ad hosce libros, nullum vnquam præclarius ac diuinius loquutū esse. Is igitur non solum in superiori tractatione, quæ hæctenus interpretati sumus, animam omnem accepit esse substantiam, & quam substantia sit quæsiuit. Et post in tex. 39. & 41. animam confirmabit præter elementa in rebus animatis inesse, quæ elementa contineat; ne ad propria loca recedant. Atq. calorem esse quidè instrumentariam accretionis causam; at primariam esse animam, tanquam superiorem formam à calore & elementis distinctam, quæ accretioni modò præscribat & terminum, quam in infinitum calor posset extendere. Verùm etiam in posteriori lib. de ortu atq. interitu tex. 4. & 55. dum de causis procreationis loqueretur, eos accusauit magnopere, qui sublata substantiæ forma gignèdi vim omnem calori, alijsq. qualitatibus tribuebant; eos affirmans, qui ita Philosophentur, perinde facere, ac si artificia opera ferræ potius ac reliquis artium instrumentis, quam artificibus ipsis tribuerent. Et in 2. lib. de partibus animalium ca. 7. scripsit hæc verba.

Quòd enim nonnulli statuunt importunè animam esse ignem, aut aliquam eiusmodi vim, melius fortasse dixeris animam in quodà eiusmodi corpore consistere. Cuius rei causa est, quòd ad exequenda animæ officia calor omnium maximè administrandi vim obtinet. Cum enim officium animæ sit alere & mouere, hæc ea ipsa facultate potissimum efficiuntur. Igitur animam esse ignem arbitrari simile est, ac si ferram aut aksam fabrū aut artem fabrillem esse ideo arbriteris; quia opus non nisi iunctis his efficiatur. quibus verbis eam planè irritis sententiam, quæ postea fuit Galeni, voluit que sine calore quidem animam opera sua non efficere; cum tamè non esse principem causam, sed supra illam aliam esse formam, quæ præcipua sit opifex causa, & calore tanquam instrumento vtatur.

Ratio porro est multiplex. Primum enim omnes illæ proponi possunt, quibus antea substantiæ formam demonstrauimus. Nam eadem in anima & animatis rebus maiorem vim habent. Præter ea verò, quæ omni formæ cõmunia sunt, alia quædam accidunt animæ magis propria. Etenim ea nobilissimum est & diuinitissimum omnium entium naturalium, vt in C6. 5. huius libri verè obseruauit Auerroës; & ideo manifestum esse dixit & ex prima naturali cognitione perceptum, eam esse substantiā, non accidēs: quoniam substantia omni accidētī præstat: videturq. indignū dicere, primam materiam imperfectissimum ens anima præstantiorem esse. Deinde quamuis dictū sit, quomodo operationes omnes ad solum possint calorem tanquam ad efficientem causam reuocari: in permultis tamen, præsertim in cognitionibus & appetitionibus, quis id credat? quòdq. obijciatur huic sententiæ, solū accidēs virtute propria substantiam procreare, id verò audèter negatur, & falsum esse alio loco demonstratur. Præterea cū in his ipsis operationibus cognitionū exercētis manifestū sit, hominè à cõpluribus bestijs superari, eumq. habere substantiæ formam tãquam illarum principium & causam, non minus certè credendum est in ceteris quoq. animalibus principium eas habere & causam substantialem. Inde verò platurum quoq. animam coniectabimur. Nam cū eodè modo nutriatur plura & crescat, quo animali, si in animali principium sit substantiale, erit quoq. in planta. Tum verò accedit tota corporis configuratio, distinctio, & organizatio tot ac tantopere inter se

Altera ratio postremis verbis continetur. Actus primus generatione prior est, quam sit secundus: siquidem posterior hic à priori illo derivatur, quemadmodum scientia prior est contemplatione: sed anima prior est operationibus omnibus tanquam illarum principium & causa. Nam quia viventibus inest anima, inest omnibus operatio, eaque abeunte cessat ab operando. Anima igitur in actu primo magis, quam in secundo, consistit. Itaque cum scientiam dixit Philosophus contemplatione prior esse; ea intelligenda est contemplatio, quæ ex illa scientia proficitur tanquam illius actus secundus. Contemplatio inquam perfecta. Alioqui imperfecta antecedit; quoniam ab imperfecto ad perfectum semper & ubique natura progreditur. Quam ob causam addidit (in eodem) In diuersis enim prior est Doctoris contemplatio, quam discens scientia. Sed illa non est huius scientiæ actus secundus, verum illius, quæ in Doctoris mente residet illa ipsa contemplatione prior. Quod ex sola terminorum explicatione manifestum est. Nam si est actus primus, antecedit secundum necesse est: etsi habitus principium est operationis, operatione prior esse debet.

Quod Simplicius & Philoponus in solis mortalibus & caducis volunt intelligi. In ceteris enim quia aut nulla est potestas, sed solus actus, aut ea certe semper est coniuncta cum actu, ut habetur in tex. 32. lib. 3. Phys. habitus & operatio, actus primus & secundus, simul sunt. Addit Themistius in vegetante quoque anima simul esse; quia nunquam opus suum & actum secundum intermittit. Verum in his quoque natura saltem, si non temporis prioritas quadam cernitur, quoniam semper causa aliquo modo suum effectum antecedit. Et vegetans anima non natura modo, sed tempore quoque videtur operationes suas praeire. Quod de procreatione quidem manifestum est. Non enim statim sibi simile gignit. Accretionem autem antecedit alitio, hancque dispositio multa & alteratio alimenti, quæ longo perficitur tempore. In quo cum non sit prima pars, inter animam quoque & quamlibet illius alterationis partem est tempus. Sed hæc alterius disputationis sunt.

Nunc aliam eius rei, de qua agitur, rationem habet Simplicius. Imperfectum enim prius est perfectio: est autem actus primus solus imperfectior, quam quando secundus accesserit. Siquidem operatio operantis perfectio est.

Digressio IV. Quatenus Anima sit essentialiter actus corporis.

Si igitur colligantur ea, quæ à Philosopho nobis hoc loco exposita sunt, ea duo sunt præcipua. Alterum, animam esse actum & entelechiam corporis.

Alterum, eam esse actum primum & entelechiam primam. Porro de eo, quod in superiori contextu positum fuerat, eam esse substantiæ formam, quinque omnino manifesta erant. Primum, eam esse substantiam simplicem, velut formam; quod etiam cognoscitur ex partitione illa substantiæ in materiam & formam, tanquam partes simplices, & id, quod ex illis tandem componitur. Vnde tamen nequaquam consequens est, ut aliqui opinantur, eam esse immortalem. Quoniam quod in reliquis

formis cernitur, eas etsi substantiæ simplices sint, si tamen ex materia potestate educantur, interitui obnoxias esse: idem de anima vniuersè considerata existimandum est. Alterum, eam per se & sua natura impartibilem esse. Hæc enim est cuiusvis formæ, simplicisque substantiæ conditio: quod nullam ex se compositionem, nec extensionis partes habeat. An autem dum coniungitur cum corpore, simul cum eo extendatur, fiatque partibilis, post examinandum erit. Tertium, non suscipere magis & minus. Siquidem substantia est, & quidem in genere formæ perfecta. Quartum, esse per se immobilem. Quod Alexander in 1. lib. de anima, cap. 6. & 2. lib. naturalium quest. cap. 10. hoc argumento confirmavit: quia cum anima nequeat per se esse nec potest per se moueri. At falso nititur fundamento. Tum quod nullam crediderit animam posse à corpore separari. Tum quod ratio, cur aliquod moueri non possit, nequaquam ea est, quod per se non existat. Verum hæc potius, quam in 6. Physicorum lib. habemus, quod non sit corpus quantum & partibile. Id in separatis mentibus planè intelligitur: quæ per se quidem subsistunt, omnino tamen immobiles, quantum ac postremum, animam esse actum corporis. Omnis enim forma est actus materiae.

Priora quatuor tanquam manifesta, alijsque in locis explicata prætermisit Philosophus. Solum hoc postremum adiecit: quia cum formam antea dixisset esse actum, ubi probatum fuerat animam esse formam, consequens statim erat eam esse quoque actum. Actum inquam primum, incompletum & dimidiatum, aptum formare, & coniungi cum altero tanquam illius perfectionem & substantiæ compositæ partem. Et quoniam omnis huiusmodi actus ordinem quempiam inuoluit, non certi generis, sed transcendentem, ad id, cuius est actus, & eum quo coniungi potest in anima quoque intelligere oportebit eiusdem generis ordinem ad corpus, cuius anima esse potest. Hæc igitur omnia sunt in anima cogitanda. Primum inchoata illius & dimidiata substantia. Deinde aptitudo ad actuum & formandum aliud. Tum ordo ad illud, cui vnitri, quodque formare potest. Præterea actu formare & dare illi esse. Ad extremum esse principium operandi, & actu operari. Actum operari certum est longissimè ab esse à natura & essentia animæ. Nec quemquam adhuc legi, qui apertis verbis affirmaret; quamuis Plato quoquomodo significauerit. Manifestum enim est, formæ & actus primi essentiam actu secundo priorem esse; atque omnino liberam ab omni operatione, quæ ab illa proficisci possit. Et idem animam demonstravit Philosophus esse actum primum, non secundum.

Ceterum coniunctionem cum corpore, actuumque formationem visus est Alexander existimare esse de illius essentia; dum in priore lib. de anima capite 3. & 4. animam ita esse formam probare conatus est, ut nunquam possit à corpore separari. Et in 1. lib. naturalium quest. cap. vlt. cum disputaret, quomodo forma sit in materia. Affirmavit enim esse per se, si non primo, certe secundo modo eorum, quæ per se dicuntur. At quid mirum? in eo fuit errore Alexander, ut formas omnes vel etiam humanam animam, crederet esse mortales. Quæquã nec illud est verum, quod affirmat, aut certe affirmare videtur. Tū quia vel in illis formis, quæ sunt

EE iij

Animam semper significare ordinem ad corpus.

Esse actum formam non esse de essentia animæ.